



Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Quæstio tertia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Quæstio tertia.

dicit: Nunc filii Dei sumus, & nondum appartui quid erimus, quum apparuerit, similes Deo erimus. Hæc de secunda quæstione.

Circa tertiam quæstionem de verbis Apostoli: (Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis?) difficultas occurrit, ex eo quod sermo ille est vel de reprehēibili, vel de laudabili baptismo. Nam si de vituperabili baptismo, quo quidem forte baptizabatur pro cōsanguineis defunctis sine baptismo: ita quod semel baptizabantur pro salute propria: & iterum baptizabantur pro proximis suis defunctis sine baptismo, erroneè putates baptizari posse unum pro alio: Si de hoc inquam errore baptismo loquitur Apostolus, infirmum valde argumentum ad persuadendam resurrectionem mortuorum assumit: dum ex fide & spe quam habent de resurrectione mortuorum isti qui baptizantur pro proximis defunctis, arguit quod mortui resurgent. Nam facillima & in promptu est confutatio huius argumenti: respondendo quod quemadmodum factum istorum est vanum, ita & fides ac spes eorum: ita quod argumentum hoc sumi ex hominū fide ac spe vana non oportet aliunde monstrare, quam ex proprio facto quo baptizantur pro aliis. Ex hoc enim quod inutiliter & vanè baptizantur pro aliis, argumentum habetur quod vana est fides & spes quam habent de resurrectione mortuorum. Si vero est sermo de laudabili baptismo, appareat quod oportet incurrire alterum suorum, inconuenientiam: scilicet vel æquiuocationem, vel impropteritatem. Nam si exponitur pro mortuis, id est operibus mortuis, quæ sunt peccata (iuxta illud ad Hæbreos ix. Sanguis Christi emundabit ab operibus mortuis) incurritur æquiuocationem. Nam in alia significatione sumitur, quum primo

R 4 dicitur

Ientaculi secundi

Dicitur: Qui baptizantur pro mortuis, & in alia sumuntur statim subdendo: Si mortui non resurgent: vt patet. Et nihilominus quale argumentum hinc sumpsit Apostolus? quasi penes similitudinem nominis ex operibus mortuis ad homines mortuos, ex resurrectione per baptismum ab operibus mortuis ad resurrectionem à naturali morte procedens. Si autem exponitur pro mortuis, hoc est profitendo fidē ac spem de resurrectione mortuorum: pro quanto ii qui baptizabantur, profitebātur integrum fidei symbolum, in quo manifestè dicitur, Credo carnis resurrectionem, &c. ita quod pro tanto dictum est. quod baptizantur pro mortuis, pro quanto baptizantur profitendo resurrectionem mortuorum. Si sic, inquam exponitur, incurritur improprietas sermonis. Nam impropriè dicuntur baptizari pro mortuis, quia baptizantur profitendo resurrectionem mortuorum. Similiter posset dici baptizantur pro trinitate, quia baptizantur profitendo trinitatem.

Ad hanc quæstionem respondetur, quod quum Apostolus non arguat ex fide aut spe, aut ex verbis, sed ex facto (nam dicit: Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? & exponens illud factum esse baptizari pro mortuis, subdit: Si mortui non resurgent, vt quid baptizantur pro illis? scilicet mortuis) oportet sensum horum verborum sumere ex facto ex quo argumentum sumit Apostolus. Nescio autem melius factum hoc interpretari quām ex doctrina eiusdem apostoli: qui ad Colos. ii. docet eos qui baptizantur, baptizari in persona mortuorum: & non solum mortuorum, sed etiam resurgentium cū Christo, Consepulti, inquit, estis per baptismum Christo, in quo & resurrexisti per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Et rursus cap. iii. Si conserexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, mor-

cui

Quæstio tertia.

ul enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo. Ritus baptismi habet, ut qui baptizantur, mergantur sub aqua: & per hoc repræsentent duas mortes: scilicet propriam mortem mortalem, & mortem Christi corporalem. Repræsentant enim se mortuos vitæ veteri, sicut Christus mortuus est vitæ huius mundi. Mersio enim repræsentans sepulturam Christi mortui, ponens hominem qui baptizatur sub aqua, sicut corpus Christi positum est sub terra: repræsentat quoque hominem illum ita recedere à præterita vita, ut sit illi mortuus & sepultus. Similiter surgendo ex aqua repræsentatur duplex resurrectio, & Christi corporalis, & hominis spiritualis: ita quod ex hoc quod homo surgens ex aqua, repræsentat Christum à mortuis resurgentem: repræsentat quoque seipsum surgere in nouam vitam spiritualem: nunc quidem quācum ad animam secundū rem: in futurum autem etiam quācum ad corpus in spe. Hoc est factū ex quo arguit Apostolus, dicens: Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? hoc est in persona mortuorum: si mortui non resurgunt, utquid baptizantur pro illis: hoc est personam illorum agunt qui sic baptizantur pro mortuis, sicut in representationibus quidā agunt fortes, quidam modestos, quidam mortuos, quidam claudos, quidam cæcos, &c. & hi dicuntur operari pro cæcis, pro claudis, qui agunt personas illorum. Ex tali itaque baptismi ritu quo qui baptizantur, personam mortuorum agunt ad similitudinem Christi mortui, & consequenter personam resurgentium ad similitudinem Christi resurgentis argumentum sumptissime apostolorum intelligendum est tum quia secundum hunc sensum inuenitur argumentum efficax. Vanum siquidem esset tale factum repræsentatiuum mortis & resurrectionis, si mortui non resurgunt. Tum quia exponitur litera sumendo argumentum à fa-

R 15

cto.

Ientaculi secundi

ato, iuxta verba Apostoli.

Tum quia seruatur proprietas sermonis, & nulla interuenit æquiuocatio. Tum quia consonat aliis documentis Apostoli. Tum quia nihil incerti aut noui in Ecclesia Christi per hanc expositionem ponitur.

Et aduerte, quod quia ex modo facti solus ritus baptismi per immersionem repræsentat mortem & resurrectionem, ideo Apostolus quasi particulariter loquitur de facto illorum qui baptizantur in persona mortuorum. Et rursus ideo apposuit coniunctionem, & dicendo, Ut quid & baptizantur, quasi dicit: Ut quid non solum baptizantur: sed baptizantur pro illis: id est, in persona mortuorum? Tanquam dicere: Ut quid tali ritu personam mortuorum & resurgentium assumunt quum baptizantur? Notanter autem dixi ex modo facti, quia ex efficacia sacramenti semper baptismus quomodounque fiat, communi, & consepeliri hominem facit, & resurgere cum Christo in nouitate vitæ.

A D obiecta autem in principio, non est aliter respondendum, nisi quod expositio illa de opinato illo errore baptismō, minus consona videtur sensui Apostoli: qui ex facto manifestè arguit, & non ex spe facti. Hæc de tercia quæstione.

C irca quartam quæstionem difficultas occurrit quia non appareat literalis sensus secundum plenum literæ contextum. Non enim appareat ad quod propositum dicantur illa verba: Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. Constat namque ibi sermonem fieri de differentia inter legem Mosaiicam, & promissionem factam Abrahæ in Christo. Et quantum appareat, extra propositum, extra contextum interpositum est quod officium mediatoris est inter duos: & similiter quod Deus est unus. Quorum enī hæc hic, quantum in se verissima

ma